

452

450

456

payonis, quasi eam despiciens etc. Silus fluvius Taurisinus de
rupe quadam Alpium, dicto Penschendorff, exilit et urbem trans-
currens in mare mergitur.

446

Decima octava die, quae erat dominica prima post octavas
epiphaniae, audita Missa et prandio sumto Taurisii equos ascen-
dimus et contra faciem Alpium equitavimus. Est autem sex mil-
liaria terra planissima et fertilissima, inter mare et montana viti-
bus et arboribus plena et pascualis. In processu autem venimus
ad flumen Plabes, quem transire nullatenus poteramus, quia inun-
daverat et ripas alvei non solum impleverat, sed exundabat, unde
multis clamoribus emissis transductorem advocavimus, stabat enim
hippogamus ex opposito in alio littore, post horam autem tarde
advenit rusticellus et in hippogamo navi equina nos transduxit.
Hic flumen Plabes rapido cursu de Alpibus ruit dividitque mar-
chiam Tarysiniam a Foro Iulio.

461

In Foro Julio sunt civitates magnae, Venetis subditae, sicut
et Tarvisina marchia eorum est. Quodam tempore descendit longo
itinere de montanis in rate per flumen illum cum multo periculo
et crebra ratis impactione in rupium parietes. Consequenter pro-
cessimus contra montana et in solis declinatione ad radices Alpium
paene venimus in civitatem Cunianum, vulgariter Hunglim, et ibi
per noctem mansimus. Cunianum est oppidum parvum, sed mu-
nitum, dependens ad clivum montis; per ejus circuitum tot stant
olivae, ut in silva videatur stare, et in ejus summitate stat castrum,
habetque suburbium majus civitate, in quo sunt hospitia.

441

501

401

551

351

De Alpium longissimo tractu.

Alpes montes sunt, seu mons multis et excelsis cacuminibus
distinctus in occidente contra meridiem tamen incipiens, et longe
per mundum distenditur. Diversa sortitur nomina, et quod mirum
videtur, usque in Indiam se extendit. Verum tamen Alpes nostrae
non sunt nisi quoddam brachium a tractu illorum montium, qui
sic mundum circumdeunt et maria mediterraneum, Pontum Euxinum,
Caspium sive Hircanum et Indicum includunt, unde catena mundi
dicitur. Ubicumque enim legeris de Riphaeis montibus et Hyper-
boreis et Carpathis, Tauri, Caucasi et Caspiis montibus, intellige

Ende

Anfang

